1520

In Christi nomine amen. Ego Eulalia filia Francisci Sadorni brodatoris auri et argenti quondam civis Barchinone et domine Johanne illius uxoris defunctorum dum corpus sanitate viget mens interior in se metipsa collecta plena utitur ratione unde tunc ultime voluntatis iudicium tranquille rationis usu salubrius promitetur. Quapropter corpore ac mente sana de bonis et rebus meis omnibus disponens meum ordino et facio testamentum. In quo pono et eligo manumissores meos et huius mei testamenti seu ultime voluntatis mee executores reverendos dominos priorem et vicarium cenobii Sancti Hieronymi de la Vall d'Ebron extra muros civitatis Barchinone qui nunc sunt et pro tempore fuerint. Quibus prout carius possum deprecor eisque plenam dono et confero potestatem quod si me mori contigerit antequam aliud faciam vel ordinem testamentum ipsi duo manumissores mei distribuant ordinent compleant et exequantur hoc meum ultimum testamentum seu hanc meam ultimam voluntatem prout inferius scriptum invenerint seu etiam ordinatum. Primum igitur et ante omnia volo et mando quod omnia debita que die obitus mei debeam persolvantur et omnes iniurie ad quarum restitutionem tenear restituantur de bonis meis breviter simpliciter summarie et de plano secundum Deum et forum anime. Sint tamen ipsa debita vel iniurie probari poterint vel ostendi per testes vel instrumenta aut alia legitima documenta. Eligo autem corpori meo sepulturam in capitulo dicti monasterii Sancti Hieronymi de la Vall d'Ebron in vase sive vaxello in quo corpora parentum meorum existunt tumulata, rogans in domino Jesu Christo dictum reverendum priorem et conventum dicti monasterii quatenus habitum sive sancte religionis mihi concedant cum quo devote cupio et volo sepeliri, pro quo habitu volo dari decem libras Barchinonenses. Accipio autem de bonis meis ultra dictas decem libras pro anima mea alias decem libras de quibus volo quod die quo dictum corpus meum ecclesiastice tradetur sepulture fiat et celebretur in altari maiori eiusdem monasterii per fratres eiusdem officium Assensionis Domini nostri Jesu Christi et die octava proxime sequenti dicatur pariter et celebretur aliud officium Assumpsionis beate Marie et nihilominus celebrentur tot misse de requiem quot dictis meis manumissoribus videbuntur pro remedio anime mee et dictorum parentum meorum. Item lego sive dimitto dicto monasterio Sancti Hieronymi de la Vall d'Ebron omne aurum et argentum tam de manilles braçalets hun moltonet de or et aliarum iocalium quod die obitus mei habuero et in hereditate mea repertum fuerit mittendum et convertendum per dictos meos manumissores in adiutorium et augmentum custodie dicti monasterii. Item lego sive dimitto infermerie dicti monasterii ad opus et sustentationem fratrum ibidem egrotantium quatuor paria lintiaminum lini unumquodque quatuor telarum et quatuor paria de coxineres et unam vanova grossa de his que in domo mea sunt. Item lego sive dimitto Capelle Sancte Eulalie in ecclesia Barchinone constructe quadraginta solidos Barchinonenses. Item lego sive dimitto capelle Sancti Severi in dicta ecclesia Barchinone constructe decem solidos Barchinonenses. Item etiam dimitto seu lego hospitali Sancte Crucis civitatis Barchinone quinque solidos Barchinonenses. Omnia vero alia bona mea mobilia et immobilia iura et actiones meas quascumque quecumque sint et etiam ubicumque dimitto et concedo domino Deo anime mee et pie cause infrascripte, instituens dominum Deum animam meam et dictam causam piam subscriptam ~~mihi~~ heredes universales dans et concedens dictis meis manumissoribus liberam potestatem recipiendi et penes se habendi statim post obitum meum cum beneficio inventarii universa et singula bona mea tam mobilia quam immobilia et se moventia et ea que non consistent in pecunia numerabili et de quibus ego supra non disposui in encantu publico plus offerenti vendendi et alienandi iura et actiones meas cedendi et mandandi de evictione cavendi et pro ipsa evictione et alia cetera bona mea obligandi possessionemque tradendi et omnia alia que inde fieri requirantur faciendi et quecumque instrumenta necessaria et oportuna faciendi et firmandi sub et cum illis pactis pactionibus stipulationibus promissionibus bonorum obligationibus renunciationibus et aliis clausulis et cautelis inde utilibus et necessariis et in talibus vel similibus fieri assuetis. Et precia inde percepta bonorum deductis missionibus et expensis et aliis que inde deduci oportuit simul cum pecunia numerabili que in mea hereditate inventa fuerit convertendi et distribuendi in expeditionem et complementum eorum que ~~fuerint~~ per me superius ordinata et predictis completis et expeditis integriter et complete totum id quicquid ac quantum processum fuerit vel superfuerit ex bonis meis penes eos de hereditate mea predicta emerserit per dictos meos manumissores sub bono loco tuto et firmo ad rationem censualis et pensiones sive fructus inde provenientes dentur distribuantur et erogentur per dictos meos manumissores in missis annuatim in dicto monasterio et per fratres eiusdem celebrandis pro anima mea et dictorum parentum meorum. Concedentes ipsis manumissoribus meis in quantum possum in et super his in domino onerando dans et concedens dictis manumissoribus meis insimul super omnibus et singulis predictis et aliis quibuscumque meam hereditatem predictam tangentibus plenarie vires meas ac liberam et generalem administrationem cum plenissima et indefessam potestate. Volo tamen et predictam sub hac lege et conditione facio institutionem quod si et quandocumque Hieronymus de Rasadell filius meus qui ut dicitur de presenti in terram turcorum sub captivitate detinetur in suam libertatem reductus et ad has partes reversus fuerit quod in continentem eo adveniente casu predicta mea hereditas solutis legatis predictis deveniat ad dictum Hieronymum de Rasadell quem quidem Hieronymum de Rasadell filium meum in dicto casu mihi heredem instituo universalem ad omnes suas voluntates inde libere faciendas. Hec est autem ultima voluntas mea quam volo valere iure testamenti. Et si forte non valet aut valere non potest iure testamenti saltem volo quod valeat et valere possit iure codicillorum vel nuncupativi aut iure etiam cuiuslibet alterius ultime voluntatis qua melius valere possit et tenere. De qua mea testamentaria ordinatione volo fieri tot originalia testamenta quot inde fieri petantur per illos quorum intererit per notarium infrascriptum. Actum est hoc Barchinone et signanter in domo mee habitationis quam foveo in platea Sancte Anne dicte civitatis die octava mensis iunii anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo vicesimo. Signum Eulalie Sadornina testatricis predicte que hec laudo concedo et firmo.

Testes vocati et ore dicte testatricis rogati huius rei sunt venerabilis Gaspar Sancto canonicus Sancte Anne et Ludovicus Partusa sapmerius civis Barchinone.

Signum Ludovici Johannis Moxo regia auctoritate notarii publici civis Barchinone qui premisse testamentarie ordinationi rogatus interfuit hecque scripsit fecit et instante ac requirente dicta testatrice etiam dum vivente clausit.

Barcelona
1520